

ptionis B. M. Virginis ex carceribus, quantum fieri possent, relaxarentur. Præturam Civitatis gessit Petrus Castillioneus Mediolanensis. Eodem anno die decimo octavo mensis octobris fit recognitio civitati Alexandriae (2) seu consilio in Ecclesia majori S. Petri Alexandrina per Henricum Calcamuggium, Jacobum de Guidona, Tignam, & Guidonem de Donabona ad petitionem Alpini Calcamuggi, Jacobi Zoppi, Jordani Calcamuggi de filiis Ruffini condominis Sexadii, & Priami Calcamuggi de filiis Ruffini, & nonnullorum aliorum, qui ratificaverunt omnes investituras factas per Commune Alexandriae, & ejus antianos, & sapientes, ac fidelitatem præstitam renovarunt.

(1) Ghil. ad ann. MCCCXLVIII.

(2) Civitatis Alexandriae & seu MS.

MCCCXLVIII. Voltabium, & Graviium oppida se sponte dedunt Luchino Vicecomiti, qui cum absens ab Alexandria foret, fidelitatis juramentum dicunt Prætori Alexandriae. Eodem anno Lanzavecchia, Invitiati, filii Ruffini, seu Feruffini, & Squarzacchi nomine suo, & clientum suorum quædam privilegia obtinent ad recuperandas res, quæ tempore, quo exules fuerunt a Civitate, occupatæ fuerant; idque factum sub Luchino Vicecomite, qui pariter multa privilegia concessit Alexandrinis, & immunitates, quæ insertæ sunt inter leges nostras municipales.

MCCCL. Adhuc perseverabant dissidia, & factiones, quandoquidem Johannes Montisferrati Marchio Astensium, Eporediensium, Canabensium, & Alexandrinorum oppida, quæ imperium suum veluti cancellis quibusdam includunt, infestabat.

MCCCLIV. Die Dominico quinto octobris Johannis Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis, Luchini frater, vir multæ prudentiæ, & eximii splendoris, operibusque publicis clarus, hora decimaquarta dicti diei moritur, qui imperium latum, & insigne habuit, multarumque Civitatum Dominus fuit; cui mortuo cum Epitaphium satis eruditum in majori Ecclesia Mediolani Civitatis factum fuisset, illud adscribere hic licuit; tum ut videri possit, quas urbes ipse possideret, quamque amplum imperium haberet, tum etiam quia Civitatum epitheta Epitaphii auctor recte adscribit.

Quam fastus, quam pompa levis, quam gloria mundi Sit brevis, & fragilis humana potentia, quam sit, Collige ab exemplo, qui transis, perlege, differ; In speculo speculari meo lacrymabile carmen. Qui sim, qui fuerim, dicet qui marmore claudor. Sanguine clarus eram, Vicecomes stirpe, Johannes Nomine; nullus opes possedit latius orbe. Præsul eram, Pastorque fui, baculumque tenebat Dextera Pastoris, gladiumque sinistra gerebat Felicis Domini; magnusque, potensque tyrannus Ipse fui vivens. Metuerunt nomina nostra Ethera, terra, mare; suberant urbesque potentes Imperio, tituloque meo: mihi Mediolani Urbs subjecta fuit, Laudense solum, Placentia grata, Aurea Parma, bona Bononia, pulchra Cremona, Bergama magna satis lapidosus montibus aucta, Brixia magnipotens, Bobiensis terra, tribusque Eximiis dotata bonis Terdona vocata,

Cumarum tellus, novaque Alexandria pinguis, Et Vercellarum terra, atque Novaria, & Alba, Ast quoque cum castris Pedemontis iussa subibat, Janua, quæ antiquo quondam jam condita Jano Dicitur, & vasti narratur Janua mundi, Et Savonensis urbs, & loca plurima, quæ nunc Difficile est narrare mihi, mea iussa subibant. Tuscia tota meum metuebat languida nomen. Per me obsessa fuit populo Florentia plena, Bellaque sustinuit tellus Perusina superba, Et Pisæ, & Senæ timidum reverenter honorem Præstabant, me metuebat Marchia tota, Italiæ partes omnes metuere Johannem; Nunc me petra tenet, saxoque includor in isto, Et lacerum vermes laniant nunc undique corpus Quid mihi divitiæ? Quid lata palatia profunt? Cum mihi sufficiat, parvo quod marmore claudar, Et clausi diem meum. MCCCLIV. die V. octobris.

D. Gabrius de Zamoreis de Parma Doctor composuit hæc carmina. Eodem anno ob mortem memorati Johannis Archiepiscopi Matheus, Barnaba, & Galeatius nepotes imperium dividunt. Asta Colonia cum Vercellis, Derthona, & Alexandria, & multis aliis Civitatibus in sortem obveniunt.

MCCCLVI. Galeatius Vicecomes Caroli IV. Imperatoris Vicarius creatur in ea status portione, quæ ad ipsum pervenerat, in qua aderat civitas Alexandriae. Eodem anno Leonardus Johannis Vicecomitis Archiepiscopi filius spurius, seu incestuosus, ut bellum in Attenses gereret nomine Galeatii consobrini sui, Derthonæ, & Alexandriae residebat, ut inde facilius sibi opportunitatem pararet hostibus officiendi. Spoliaverat enim Montisferrati Marchio Galeatium Astensi Civitate, non tamen Castello, quod strenue per multos menses se defendebat post captam Civitatem; quamvis & illud unacum Civitate in potestatem Marchionis postmodum devenerit.

MCCCLXVII. Galeatius Vicecomes bellum gerens cum republica Genuensi fudit, fugavitque quamdam Genuensium militum manum insidiis dispositis, qua illis erat transeundum, ut Oviliarum oppidum caperent, multis interfectis, idque opere Antonii, & Thomæ de Gambarinis. Cæterum Antonius eo ipso die a Theutonicis militibus dicti Galeatii incognitus interficitur.

MCCCLXX. Die vigesimo mensis martii antiani Civitatis fide publica interposita attestantur gentem, quæ nunc de D. Genuensibus appellatur, a civitate Genuæ fluxisse, & de stirpe Nigrorum progenitam, & appellatam.

MCCCLXXI. Pestilentia maxima Alexandriam, & finitima loca fere oppressit; perierunt multi mortales. Civitas ipsa quodammodo deserta videbatur; mira ubique solitudo, ita ut innata herba omnes plateæ, totum forum magnum, viæque universæ complerentur, tribusque perpetuis annis perduravit. Multæ familiæ civitatis Alexandriae pestilentia absumptæ prope ad internecionem sunt. Gens Aularia præcipuum damnum passa est. Jacobus Aularius Jurisconsultus, & artium medicinæ Doctor, Bartholomeus Clarus, Jonius, & Ugo pariter medicinæ Doctor, & Gilardinus Clarus armiger maximi nominis, una cum plerisque familiis veteribus